



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6 Vtrum possit a mente hominis deleri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Semper quod lex naturalis habet . potest tamen mutari & in aliquo particulari, & in paucioribus ppter aliquas speciales causas impediētes obseruanciam talium præceptorum, vt supra dictum est. *

AD PRIMVM ergo dicendum, quod lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suppletur eis, quod legi naturæ deerat: vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantum ad aliqua, corrupta erat intantum, vt existimarent esse bona, quæ naturaliter sunt mala: & talis corruptio correctione indigebat.

AD SECVNDVM dicendum, quod naturali morte moriuntur omnes cōmunitē tam nocentes, quā innocentes: quæ quidem naturalis mors diuina potestate inducitur propter peccatum originale, secundū illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & viuificat: & ideo absque aliqua iniustitia secundū mandatum Dei potest infligi mors cuiusq; homini vel nocenti, vel innocenti. Similiter etiam adulteriū est concubitus cum vxore aliena, quæ quidē est ei deputata secundum legem Dei diuinitus traditā. vnde ad quæcumque mulierem aliquis accedat ex mandato diuino, non est adulteriū, nec fornicatio. Et eadem ratio est de furto, quod est acceptio rei alienæ, quicquid enim accipit aliquis ex mādato Dei, qui est Dominus vniuersorum, non accipit absque voluntate Domini, qđ est furari. Nec solum in rebus humanis quicquid a Deo mādatur, hoc ipso est debitum, sed etiam in rebus naturalibus quicquid a Deo fit, est naturale quodammodo, vt in primo dictum est. *

AD TERTIVM dicendum, quod aliquid dicitur esse de iure naturali dupliciter. Vno modo, quia ad hoc natura inclinatur: sicut non esse iniuriā alteri faciendam. Alio modo, quia natura non inducit contrarium: sicut possemus dicere, quod hominem esse nudum est de iure naturali: quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinuenit. & hoc modo communis omnium possessio, & omnium vna libertas, dicitur esse de iure naturali, quia scilicet distinctio personarum, & seruitus non sunt inductæ a natura, sed per hominum rationem ad vtilitatem humanæ vite. & sic etiam in hoc lex naturæ non est mutata nisi per additionem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum lex naturæ possit a corde hominis aboleri.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod lex naturæ possit a corde hominis aboleri. Quia Roman. 2. super illud. Cū Gentes quæ legem non habent &c. dicit glossa: * quod in interiori homine per gratiam innouato, lex iustitiæ inscribitur, quam deleuerat culpa: sed lex iustitiæ est lex naturæ. ergo lex naturæ potest deleri.

¶ 2. Præterea. Lex gratiæ est efficacior quā lex naturæ: sed lex gratiæ deletur per culpam. ergo multo magis lex naturæ potest deleri.

¶ 3. Præterea. Illud quod lege statuitur, inducitur quasi iustum: sed multa sunt ab hominibus statuta contra legem naturæ. ergo lex naturæ potest a cordibus hominum aboleri.

SED CONTRA est, quod Augustin. dicit in 2. Confess. * Lex tua scripta est in cordibus hominum, quæ nec vlla quidē delet iniquitas: sed lex scripta in cordibus hominum est lex naturalis. ergo lex naturalis deleri non potest.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, * ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta cōmunitissima, quæ sunt omni-

A bus nota: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinque principijs. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in vniuersali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, vt supra dictum est. * Quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eo modo quo etiam in speculatiuis errores contingunt circa conclusiones necessarias: vel etiā propter prauas consuetudines & habitus corruptos: sicut apud quosdam nō reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apost. dicit ad Roman. 1.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod culpa deleret legem naturæ in particulari, non autem in vniuersali: nisi forte quantum ad secunda præcepta legis naturæ, eo modo quo dictum est.

AD SECVNDVM dicendum, quod gratia etsi sit efficacior quā natura, tamen natura essentialior est homini, & ideo magis permanens.

AD TERTIVM dicendum, quod ratio illa procedit de secundis præceptis legis naturæ, contra quæ aliqui legislatores statuta aliqua fecerunt, quæ sunt iniqua.

QVAESTIO XCV.

De lege humana, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de lege humana.

¶ Et primò quidem de ipsa lege secundum se. Secundò, de potestate eius. Tertiò, de eius mutabilitate.

CIRCA primum queruntur quatuor.

¶ Primò, De vtilitate ipsius.

¶ Secundò, De origine eius.

¶ Tertiò, De qualitate ipsius.

¶ Quarto, De diuisione eiusdem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fuerit vtile aliquas leges poni ab hominibus.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod non fuerit vtile aliquas leges poni ab hominibus. Intentio enim cuiuslibet legis est, vt per eam homines fiant boni, sicut supra dictum est: * sed homines magis inducuntur ad bonum voluntarij per monitiones, quā coacti per leges. ergo non fuit necessarium leges ponere.

¶ 2. Præterea. Sicut dicit Philosophus in 5. Ethicorum. † Ad iudicem confugiunt homines sicut ad iustum animatum: sed iustitia animata est melior, quā inanimata quæ legibus continetur. ergo melius fuisset, vt executio iustitiæ committeretur arbitrio iudicum, quā quod super hoc lex aliqua conderetur.

¶ 3. Præterea. Lex omnis directiua est actuum humanorum, vt ex supradictis patet: * sed cum humani actus consistant in singularibus, quæ sunt infinita, non possunt ea, quæ ad directionem humanorum actuum pertinent, sufficienter considerari, nisi ab aliquo sapiente, qui inspiciat singula. ergo melius fuisset arbitrio sapientū dirigi actus humanos, quā aliqua lege posita. ergo non fuit necessarium leges humanas ponere.

SED CONTRA est, quod Isidorus dicit in lib. * Etymolog. Factæ sunt leges, ut earum metu humana

3.77. art. 2.

Supra q. 91. art. 3. & 2. dī 1189. art. 1. cor. ad 1. & ad 5. Et 3. dī 1190. art. 2. * q. 92. art. 1.

Cap. 4. circa mod. 10. 5.

Q. 90. art. 1. 2. 3.

Lib. 5. c. 56.